

bis requirit, nempe ut pœnitentiâ actâ in Christum credamus. Marc. I. 15.

VI. DEus cum per Evangelium, fide receptum, justificationem nobis & salutem contulit, à nobis requirit, ut piè & juxta legem vivamus. I. Petr. II. 24.

VII. Ambigua, neq; carens periculo locutio est, DEum vi novi federis Evangelici requirere consequenter & post collatam gratiam mandatorum suorum obedientiam.

VIII. Minus periculose: Evangelium post justificationem nos remittere ad legem, nobis obedientiam injungentem. Rudrauffius.

IX. Promissiones Evangelicæ de remissione peccatorum & largiendâ vitâ æternâ suspensæ sunt à fide. Marc. XVI. 15. 16.

X. Promissiones Evangelicæ de illuminando intellectu & ingenerandâ fide non sunt suspensæ à fide, sed ab usu mediorum fidei & ordinis à DEO constituti. Rom. X. 17. Calovius.

XI. Ex quo sequitur, Evangelicam & intellectus illuminationem & voluntatis emendationem in homine nondum regenito existere posse, si mediis illis utatur. Actor. XXVI. 28.

XII. Pericopæ Evangelicæ, semel constitutæ & in usum universalem atq; longævum deductæ, utiliter retinentur, nec sine offensione mutantur.

Disp. XXXVI.

De

Sacramentis Vet. Testamenti.

I.

SAnius de intentione ministri in administrando Sacramento Bellarminus sensit, qui virtuales sufficere docuit, si non adsint actualis & habitualis, quam Fanatici, qui valorem actuum Ministerii Ecclesiastici à pietate ministri suspendunt.

II. Qui verò hunc valorem verbi prædicationi dene-
gant,